




1554
Peucer







PROPOSITIONES DE CAVSIS LIBERARVM ACTIONVM HOMINIS ETHICIS ET Physicis: de differentibus in homine (ut uocant) potentijs: & de demonstratione, de quibus disputabitur 15. die Decembris.

In Auditorio Collegij maioris, hora consueta.

CASPAR PEVCERVS.

VVITTEBERGAE
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.
ANNO M. D. LIIII.

Joachimus Camerarius
Joachimo filio fr.
suo carissimo

PROPOSITIONES.

I

RECte dixit Ariſtoteles, Ratio hortatur ad optima.

II

Reliquæ ſunt enim in omnium hominum mentibus certæ, ratæ, & immotæ noticiæ legis naturæ, diſcernentes inter honeſta ciuilia & turpia, quas Principia Practica uocarunt, quæ noticiæ ſunt radiȷ diuinæ ſapientiæ lucentes in mentibus, ſicut in oculis peculiare lumen ineſt ac lucet.

III

Has omnibus humanis uiribus lapſu primorum parentum languefactis & mutilatis de tota prima & excellenti ſapientia ſupereſſe in animis Deus uoluit, ut oſtendant quod ſit et qualis ſit Deus, intelligens, ſapiens,

iuſtus,uerax,caſtus,uindex ſcelerum. Et quod uelit hominem conditori Deo conformem eſſe, & ut luceat in nobis distinctio recte factorum & ſcelerum. Carnifex etiam his noticijs additus eſt ineuitabilis, qui eſt teſtimonium de Deo. Vniuerſaliter enim & immutabili ordine ſequitur ſcelera horribilis dolor deſtruens ſontem,ut ſciamus ſcelera non eſſe conformia Deo, & Deum deſtruere non conformes. Deniq; ob hanc cauſam etiam has noticias uoluit in nobis manere, ut ſint normæ omnium externarum actionum hominis, diſciplinæ,& honeſtæ ſocietatis.

IIII

Hoc perpetuum & immutabile lumen conditum à Deo in homine, & congruens cum diuina ſapientia,perpetuo et immutabiliter monſtrat pręcipit & approbat honeſta ciuilia in omnibus hominibus, & prohibet ac damnat turpia.

Nece=

V

Necesse est autem sapienter has naturales Noticias ab Euangelio discerni, quod proprie est promissio de gratuita reconciliatione & restitutione Vitæ æternæ propter Mediatorem, Et nequaquam est noticia nobiscum nascens, sed singulari uoce Dei prolatum est ex sinu æterni Patris, cum prorsus ignotum esset omnibus creaturis. At noticiæ naturales sunt Lex Dei, quæ in Decalogo repetita est, qui ideo etiam uoce Dei promulgatus est, quia in hac caligine humana, etiam legis noticiæ sunt obscuræ, & languida est adsensio.

VI

Reliqua est etiã in hac quanquam infirma natura hæc libertas. Mens cogitans præcepta Dei potest imperare organis loco motiuæ, ut gestus habeant præceptis conuenientes. Et talis est Cerebri & Neruorum natura, ut mouenti cogitationi obe-

diant. Vult enim Deus intelligi discrimen inter agens liberum & non liberum, ut sciamus ipsum esse agens liberrimum. Ideo reliquit aliquam in hominibus libertatem. Vult etiam posse disciplina regi & frenari externa membra, ne fiant infinitæ dissipationes humanę societatis.

VII

Sed cum Ratio ostendat, præcipiat, et flagitet, quæ sunt optima ciuiliter, Vnde est fœdum illud et triste dissidium uirium in homine? Vnde imbecillitas?, Voluntatis eneruata uis atq; potentia, alienatioq; à Mente: Motuum cordis effrenis contumacia: Appetitionum indomiti impetus uiolentaq; incendia?. Vnde tanta hominum dissimilitudo & feritas, tantaq; immanitas plurimorum?. Vnde tantum scelerum, flagitiorum, turpitudinis apud omnes gentes extra Ecclesiam?.

VIII

Sapien-

Sapientes omnes omni tempore agnouerunt & mirati ſunt penè ad ſtuporem deformem illam conturbationem et ἀταξίαν uirium in homine, ita ut Plato τὸ ἐπιθυμητικὸν θηρίῳ ποικίλῳ καὶ πολυκεφάλῳ, τὸ θυμοειδὲς λεόντι, τὸ λογιστικὸν ἀνθρώπῳ conferat: & in Phædro duas inferiores ἱππομόρφους, id eſt, feris et indomitis equis ſimiles, tertiam ſuperiorem ἡνιοχικὸν faciat ſimilem Rectori imbecillo. Sed nec cauſas eius mali perſpexerunt, nec nouerunt originem.

IX

Sola Eccleſia nouit & intelligit cauſas, quę à lapſu primorum parentum & maledictione uocis diuinæ, & hanc in nobis enormem deformemq; cognatarum ac coniunctarũ ab initio uirium diſtractionem ac corruptionem, et naturæ deſtructionem, diſſolutionẽq; integerrime ad perpetuitatem conformati tẽperamenti, & reliquarum cauſarum omnium in to

to mundi opificio, quæ initio hominis naturæ adaptatę erant atq; attemperatæ, ἀναρμοσίαν ortam esse docet.

X

Sed quæ causa tantæ dissimilitudinis & singulorum hominum et totarum gentium? Cur alię magis ferę, aliæ mansuetiores sunt & magis patientes disciplinæ? Cur ab ijsdem nati parentibus, eodem modo educati: ijsdē imbuti à teneris atq; exculti artibus & opinionibus: ad eadem assuefacti exercitia & studia: exutis illis sępissime, quæ consuetudo studiumq; firmarant ac durarant, redeunt ad principia ortus sui, naturæq; impet9 atq; instinctus sequendo, degenerant in ea, quæ institutioni primæ & assuefactioni contraria prorsus sunt?

XI

Hæc consideraturus & causas omnes actionum liberarum, quas suis homo uiribus instituit, inchoat, efficit, moderatur ac uariat: & dissimilitudi-

tudinem uirium diuerſarum in homine, cauſarumq; has procreantium ac uariantium, cogitatione complectatur et in conſpectu habeat neceſſe eſt.

XII

Ariſtoteles etſi quid de ui intelligente & libera affirmet dubitat, tamen ſuo conſilio hominem partitus in materiam & formam, unã tantum in eo conſtituit formam ſubſtantialē Animã, inſtructã uiribus diuerſis diſcrimine quintuplici, quibus omnes illa ciet exequitur & abſoluit actiones. Eas nominat θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν, ὀρεκτικὸν, κινητικὸν κατὰ τόπον et διανοητικόν. ὄρεξιν rurſus diſtinguit in ἐπιθυμίαν θυμὸν καὶ βούλησιν·

XIII

Etſi autem ſcholæ Philoſophicæ, quod Ariſtotelicam doctrinam plæræq; cæteris prætulerunt, hanc diſtinctionem retinuerunt hactenus, tamen cum in ea deſiderem aliqua,

quod animæ proprias δυνάμεις à cor-
poris uiribus non ſeparat, et corporis
uires neq; omnes integre, nec ſingu-
las diſtincte explicat, diuellit coniun-
gendas, cõfundit diſtinctas ac diſcre-
pantes, hoc in loco eam prætereo.

XIIII

Plato etſi de anima rationali eo
modo diſſerit, ut diuerſam eſſe à na-
tura corporis, nec corruptione affici
aut interitu, neq; cum corpore extin
gui, ſed ſeparari ac manere ſuperſti-
tem aſſentiatur, tamen non ſatis ex-
plicat ſeſe. Tres enim ſpecies animæ,
ſeu ut ipſe loquitur εἴδη τῆς ψυχῆς di-
ſtinctas natura & ſedibus homini
attribuit, quarum ἡγεμονικόν ſeu λογι-
στικόν in cerebro, θυμοειδές in corde, ἐπι-
θυμητικόν in epate collocat. An uero
ἡγεμονικόν à temperie cerebri uel for-
ma eius ſubſtantiali res alia ſit, ut à
cordis ſeu temperie ſeu forma ſub-
ſtantiali (relinquo enim nunc ſubtile
horum diſcrimen,) θυμικόν, ab epatis
ἐπι-

ἐπιθυμητικὸν non diſcrepat, nuſquam diſerte ſtatuit, niſi quod animæ οὐσίαν καὶ σύστασιν componit ex tribus his ſpeciebus, quas in tria quidem principalia membra diſtribuit accommodatis in ſingula ſingulis, in unam tamen omnes ἰδέαν ceu coactas inter ſeſe coniungit ac deuincit harmonicis proportionibus, quæ ſunt inter ὑπάτην, μέσην, καὶ νεάτην, & ubiq; generatim animam intelligentem facit ἀσώματον, ἀθάνατον, ἀνώλεθρον καὶ ἀδιάλυτον τὸ παράπαν.

XV

Galenus Platonis exemplo tres eodem modo & locis ſecluſas & natura diſcrepantes animę ſpecies conſtituit. Sed hoc à Platone differt, quod à forma ſubſtantiali aut temperamento ipſarum partium, uel ut alicubi dicit ſpiritibus, qui ſunt præcipuarum δυνάμεων prima & proxima organa eas non ſeparat.

XVI

Hæc opinionum de animæ uiribus diuersitas, inde orta est, quod animæ rationalis originem et essentiam ignorarunt Philosophi.

XVII

Plato mouetur hac ratione ut existimet animas hominum non oriri ex natura corporum, quia noticias habet insitas, non acceptas doctrina. Etsi hoc argumentum non leue est, tamen unde sit anima, & quid sit, nec ipse, nec alij philosophi explicare possunt.

XVIII

Nos in Ecclesia discimus, ut scriptum est, Inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ. Certum est igitur in nobis hominibus animam singulare & admirandum Dei donum esse, & à Deo in eam sparsos esse radios suæ lucis, ut ipse se ei in omni æternitate comunicet, quod ita fit ut animam ipsum agnoscat, & eius sapientia & bonitate sciens lætetur.

Hac

XIX

Hac nixi autoritate cum res osten dat alias esse actiones animæ propri- as,alias corpori, distinguemus δυνά- μεις seu uires omnes in homine in ψυχικάς καὶ σωματικάς.

XX

Animam usitate distinguunt in Mentem & uoluntatem,Mentem uo cant partem animæ intelligentem per se & sua natura, instructam cum illustribus noticijs nõ conceptis hau- stisue forinsecus, sed innatis, quæ sunt lumen mentis, quod in cogno- scendo iudicandoq; sequitur,tum ar- guta ui ratiocinandi iudicandiq; con nexionem cohœrentiam & conse- quutionẽ membrorum in ratiocina- tione. Voluntatem uocant partem appetentem & sua natura liberam, non præditam ui intelligendi, sed fa cultate libere obtemperandi iudicio partis intelligentis in delectu rerum propositarum à mente,uel aduersan-

di præ-

di præferendiq; contraria rationi, nisi ui aut coactione impediatur.

XXI

Alia est ergo Mentis, alia Voluntatis δύναμις. Illam νοητικὸν, νοῦν. & Mentem nominant. Hanc βούλησιν et uoluntatem. Et quod est in Mente ἀπόφασις καὶ κατάφασις, hoc in uoluntate δίωξις καὶ φυγὴ, ut Aristoteles inquit.

XXII

νοητικὸν ἢ νοῦς Vis est animæ rationalis, qua intelligit, id est, apprehendit et discernit singularia et uniuersalia, componit, diuidit, ratiocinatur syllogismo, ordiens uel ab insitis natura notionibus, uel de consensu experientiæ constitutis sententiis uniuersalibus: inductione ordiens a singularibus: & agnoscit ac iudicat a sese genita atq; cogitata: meminit perceptorum: reminiscitur oblitorum.

XXIII

XXIII

Et quia mens complectitur uel ea quæ certa ac ſtata lege conſtant, quorumq; certitudo eſt ſumma, & ueritas immota atq; immutabilis, uel quæ in deliberationem ueniunt, noſtraq; ſunt aliqua ex parte in poteſtate poſita, ſeu ut breuiſſime dicam ἐνδεχόμενα καὶ ἐσόμενα: ἐπιστημονικὸν uocarunt eam τοῦ νοητικοῦ uim, quæ priora illa ſcrutatur, perueſtigat & explicat. λογιστικὸν uero ἢ βουλευτικὸν, quæ deliberationibus eſt occupata & conſultationibus de ijs rebus conſequendis comparandiſue, aut auertendis & amoliendis, quæ ab imperio & uiribus non ſunt aliena noſtris, queque ut cogitata decreta & ſtatuta ſunt, ita geri a nobis atq; adminiſtrari, niſi prohibeamur uel perfici etiam poſſunt, aut ſi ſit opus, mutatis conditionibus rerum atq; occaſionibus mutari, & alia ratione tentari queunt.

XXIIII

XXIIII

Ad ἐπιστημονικὸν referunt νοῦν, ἐπιστήμην, καὶ σοφίαν, id est, Mentem seu intellectum, scientiam & sapientiam. quanquam non tam δυνάμεις sunt quam ἕξεις διανοητικαί. νοῦν principiorũ omnium, συντηρήσιν seu λογὸν practicorum: σύνεσιν theoricorum: ἐπιστήμην conclusionum certa firma atq; euidenti consequentia extructarum ex principiis: σοφίαν, utraq; comprehendentem noticiam, scilicet νοῦν & ἐπιστήμην nominant.

XXV

Ad λογιστικὸν referunt τέχνην, φρονήσιν, ὑπόληψιν, δόξαν, id est Artem, Prudentiam, Suspicionem, Opinionem. Quarum illæ Ars & Prudentia complectũtur ea, in quibus locum habet ratio consideratioq;, quæq; cũ ratione aut firma & stabili, aut probabili saltem suscipiuntur & fiunt: hæ reliqua in quibus dominantur coniecturæ & suspiciones.

XXVI

XXVI

βούλησις potentia est animæ supre=ma, appetens, sola per se libera, do=mina cæterarum, quæ monstrato obiecto ab intellectu agere libere & non agere, aut suspendere actio=nem potest.

XXVII

Etsi autem uires animæ sua na=tura inorganicę sunt, tamen quia in=clusa est ipsa & alligata corpori, ne=quit dum in hoc hæret carcere, aut contueri ac pernoscere, aut tractare & consequi quidquam eorum, quæ foris uersantur & extra ipsam con=stituta sunt, citra opem et in ministe=rium organorum corporis. Et re=cte Plato dixit, τὰ μὲν αὐτὴν δι' αὐτῆς τὴν ψυχὴν ἐπισκοπεῖν, τὰ δὲ διὰ τῶν τοῦ σώ=ματος δυνάμεων.

XXVIII

Sunt autem corporis δυνάμεις aliæ comunes omnibus totius corporis partibus etiam minutissimis quibusq;: aliæ propriæ præcipuis membris & partibus cognatis, quæ membris illis ministerij & necessariorum officiorum societate ac communicatione annexæ cohærent.

XXIX

Communes physicæ prorsus sunt & brutæ καὶ ἄλογοι, id est, rationis omnis libertatisq; expertes, comunes homini cum plantis. Nec consilio aut deliberatione uel cientur, uel intenduntur, uel sedantur, Sed prorsus ordine ac lege naturæ, dum uigent ualentque, & commouent sese, ubi opus est, & promunt atque exerunt actiones, aut sistunt easdem rursus atq; inhibent.

XXX

Est

Eſt enim inditus particulis omni- bus is ſenſus, ut exhauſtæ & deſtitu- tæ nutrimento citra ſenſum aliquem defectus & indigentiæ appetant ali- ud quo reficiantur, idque ex uicino attrahant, attractum ſibi accommo- dent & conforment, ſuperflua uel ex alimenti conuerſione relicta & collecta, uel aliunde appulſa repel- lant ui natiua ope natiui caloris ci- tra adminiculum ullarum fibrarum.

XXXI

Harum uirium quæ ὑπηρετικαί uo- cantur, reliquis quas ὑπηρεθείσας no- minant, ſeruiunt ceu præparatis ac ſuppeditatis neceſſarijs ad nutrio- nem aut exoneratis & depulſis non neceſſarijs. Nomina priorum ſunt ἑλκτική, καθεκτική, ἀλλοιωτική, ἐκκριτι- κή ἤ προωσική. Poſteriorum θρεπτική, αὐξη- τική, γεννητική, διαπλασική. Plato harum δυνάμεων actiones uocat κινήσεις τῆς ψυ- χῆς δευτερούργους.

Propriæ partibus præcipuis rursus aliæ cerebro insunt, aliæ cordi, Epati aliæ & coniunctis membris. Plato harum actiones συγγενεῖς κινήσεις τῆς ψυχῆς καὶ πρωτουργοὺς nominat. Et in singulis duplices inesse animaduertuntur ac differentes. Quædam enim Physicæ prorsus sunt καὶ ἄλογοι perinde ut communes. Actiones earum uocantur a Galeno ἔργα τῆς ψυχῆς ἐν τῷ πρός τι. Quædam non prorsus sunt alienæ a ratione, scilicet quatenus regi ratione, & uel demulcendo persuaderi possunt, ut considant excitatæ & acquiescant, uel ui compesci ac reprimi, uel cohiberi circumdatis repagulis, ne uiolenter erumpant & uim inferant loco motrici. Actiones earum uocantur a Galeno ἔργα τῆς ψυχῆς καθ' ἑαυτήν.

XXXIII

Physicæ non ratione aut imperio Voluntatis cientur, ſed natura membri, cui inſunt. Et ſi non impediantur, functiones continuo ſuas eodem modo ſemper obeunt, peraguntque actiones. Neque ad iuſſa præceptionesue Voluntatis uel inſurgunt incumbuntue in id, quod inſtituerunt acrius, uel urgent idem languidius.

XXXIIII

Tales ſunt, In crebro τὸ ψυχικὸν, (qua uoce ſolam uim generantem ſpiritum animalem intelligo) & τὸ κινητικὸν φυσικὸν καὶ ἀπροαίρετον, quo cerebrum continuo mouetur ſeſe diducens ceu expanſis ſinibus atque anfractibus, & contrahens rurſus ĳſdem compreſſis atque coarctatis. In corde τὸ ζωτικὸν ſeu uis ex=

primens ex ſanguine atque accen-
dens uitalem ſpiritum, & τὸ σφυγ-
μικόν, quo cor triplicium, quibus
intextum eſt, fibrarum auxilio ſe di-
ſtendit ac dilatat, cum ceu intume-
ſcit, & conſtringit rurſus cum ue-
lut coit ac concidit in ſeſe. In uen-
triculo epate & cognatis membris
deſtinatis τῷ θρεπτικῷ, uires illæ ἑλκτι-
καὶ, καθεκτικαὶ, ἀλλοιωτικαὶ, ἐκκριτικαὶ, qua-
rum actiones ope triplicium fibra-
rum rectarum, obliquarum, & trans
uerſarum exercent ac præſtant.

XXXV

Participes aliquatenus rationis
ſunt, In epate αἱ ἐπιθυμίαι ἢ τὸ ἐπιθυμη-
τικόν, quod appetitiones gignit cibi,
potus, & rerum uenerearum, qua-
rum fons eſt epar. In corde τὸ θυμι-
κὸν ἢ θυμοειδές, quod ictum atq; percul
ſũ præcedẽte cogitatione ciet editq;
adfectꝰ rei cogitatę cõgruẽtes. Eſtq;
uis illa gẽina, ἠθικόν moderatiores, πα

θητικόν

θητικὸν uehementiores affectus parit. In cerebro uires ἀισθητικαὶ & κινητικαὶ κατὰ τόπον, id est, sensitrices & motrices. Hæ ipsæ tamen δυνάμεις sua natura libere & consulto non agunt, sed naturaliter. Neruus si laceretur aut uratur, non potest non affici. Oculus integer, directus ad obiectum aliquod, non potest non uidere.

XXXVI

Αισθητικαὶ cient pariuntque sensus utrosque interiores & exteriores, & uim sentiendi impertiunt toti corpori.

XXXVII

Interiorum sensuum, qui numerantur tres usitate, φαντασία uel sensus comunis, διάνοια uel cogitatio, μνήμη uel memoria, eorũ(inquam) sedes fons & causa est Cerebrũ ipsum, & Cerebri seu forma substantialis, seu

temperies accommodata formæ substantiali, seu uis ex temperie propagata & formæ attemperata. Σωματίτιον cerebri motus. Organum animalis Spiritus, qui in alueis cerebri continetur. Obiecta his sensibus sunt communia cum exterioribus.

XXXVIII

Exteriores sensus quinque sunt ὄψις, ἀκοὴ, ὄσφρησις, γεῦσις, ἁφή. Visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. Obiecta sunt, Visus, lux & colores. Auditus soni, quorum subiectum aëreum est. Olfactus odores, quorum subiectum halituosum medium inter aërem & aquam. Gustus χύμοι seu sapores, quorum subiectum aqueum. Tactus qualitates primæ & secundæ ὑλικαὶ καὶ παθητικαὶ, quorum subiectum Crassum terreum.

XXXIX

Organa

Organa uiſus ſunt cum humore Chryſtallino, qui in oculi centro conſiſtit, πόροι ὀπτικοί καὶ τό σωορατικόμ πνεῦμα, cuius ſubſtantia tenuiſſima & lucidiſſima eſt.

XL

Organa auditus, Nerui uehentes ſpiritum animalem ad aurium foramina obliquo & tortuoſo inceſſu, qui νεῦρα ἀκουστικὰ inde denominati ſunt, & duæ membranulæ ab his dilatatis deriuatæ atque expanſæ per interiorem & ceu concameratam cauitatem oſſium quæ λιθώδη & petroſa uocantur, quibus membranulis oſſicula incudis & mallei figura affixa ſunt.

XLI

Organa olfactus ſunt geminæ ἀποφύαδες cerebri ſeu proceſſus albi,

B v mol-

molles, oblongi, plani magis quam rotũdi, ex cerebri baſi, paulo anteriꝰ quam nerui optici enaſcuntur, educti peculiari temperie, adplicatique ad ος ἠθμοειδές, quod cribri figura foraminulis pluribus pertuſum intus oſſeo ſepto duro dirimit geminos illos proceſſus, & oſſi σφηνοειδεῖ apte incluſum in narium uergit ac proſpectat meatus.

XLII

Organa guſtus nerui ſunt propagati à craſſiore radice tertij paris neruorum cerebri & in linguæ tunicam multiplici ſerie ſparſi atque explicati. Tactus organa reliqui totius corporis nerui cenſentur. Neque enim eſt ullus in corpore neruus quantumlibet durus ſine ſenſu tactus. Sed exquiſitius ſentiunt molliores ac teneriores: obtuſius & hebetius craſſiores.

Mo=

XLIII

Motrix facultas motus uoluntarij ac liberi in corpore effectrix est, cui motui Deus Architectus comparauit organa, cerebrũ ipsum, Spiritũ animalẽ, Neruos, Musculos & de musculis eductas chordas. Vt autem affectuum motus in corde σφυγμὸν (ut ita dicam) præsupponit, ita hanc cerebri κίνησιν καθ' ὁρμὴν ἢ κατὰ προαίρεσιν ἢ προαιρετικὴν, ut nominant, qua agitatum impellit Spirituum & neruorum ope membra destinata motui uoluntario, præcedit ille naturalis καὶ ἀπροαίρετος motus, cuius supra facta mentio est, fitque Voluntarius naturali uehementius incitato.

XLIIII

Quanquam autem de Animæ rationalis sede in corpore uariant opinio-

opiniones & sententiæ, Alij enim in cerebro eam collocant, Alij in corde, quod uitæ fons est, Et sacræ literæ cordis tantum meminerunt, non cerebri, hoc tamen certum est præcipuas animæ uires cum cerebri præcipuis uiribus immediate & proxime coniunctas esse, Mentem seu Vim intelligentem cum sensibus utrisque Exterioribus & Interioribus, Voluntatem cum Loco motrice.

XLV

Recte enim dixit Aristoteles, ὀυδὲ νοεῖ ὁ νοῦς τὰ ἐκτος μὴ μετ᾽ ἀισθήσεως ὄντα. Exteriores sensus singuli sua obiecta, ijs quæ exposita sunt organis excipiunt, hęc nerui animali spiritu imbuti cõuehunt ad cerebrum, qua extremi primorum cerebri Ventriculorum meatus oblique deorsum repentes reflexique ad anterio-

ra in

ra in cerebri basin apertis dehiscunt osculis sub exortum spinalis medullæ & primorum neruorum radices. Ibi spiritui animali quem meatus continent, imprimi aduectus rerum imagines: ab eo uero continua propagatione in laxiores uentriculorum alueos sursum transferri existimo, in quibus sedem esse sensuum interiorum omnes magna ex parte consentiunt. Interiores igitur obiecta percepta collectaque offerunt & exhibent menti, quæ mirabili modo actiones cerebri formantis rerum imagines dirigit temperat ac gubernat, ut per linguæ motus uocem ex larynge inconditum quiddam resonantem format. Quare uitiata cerebri temperie ut fit in Melancholicis, aut errantibus alioquin sensibus alterutris uel utrisque, protinus in errorem induci & decipi mentem quoque necesse est.

Volun-

Voluntati Motrix eſt facultas ea lege ſubdita atque obligata, ut pro arbitrio Voluntas excitare quieſcentem, impellere contantem, præcipitantem ſiſtere et aut tardare, aberrantem retrahere in uiam, concitatam ab alijs continere intra metas, & in quamcumque ſit opus partem flectere ac cõtorquere poſſit, niſi ipſa quoque uiolenter oppreſſa prohibeatur. Has cerebri uires cum animæ uiribus coniunctas Philoſophi, qui inter eas non diſcreuerunt ἡγεμονικόν & λογιστικόν uocarunt.

XLVII

Ex hac uirium humanarum diſtinctione manifeſtum eſt actionum liberarum, quæ ſunt in poteſtate noſtra κύρια ἄιτια eſſe Mentem et Voluntatem, quarum illa quid fieri conueniat decernit, & Voluntati ut ſuſcipiat ea atque exequatur hortatrix

eſt

est & incitatrix: hæc aut monstrata ã mēte amplectitur ac prosequitur, aut illis relictis eo se inclinat, quo aut suo fertur impetu, aut impellitur a uiri= b9 cæteris. συναίτια uero esse illas δυνά μεις cordis et epatis quas θυμικὸν & ἐπι θυμητικον nominauimus, suo quasli= bet loco atque ordine. σύνεργα & ὑπηρετικὰ ἄιτια sensus utrosque & lo= co motiuam.

XLVIII

Est quidem sola Voluntas per se libera, & non effectrix tantum atque gubernatrix liberarum actionum, sed & domina omnium uirium. Sed imbecillis admodum & languida.

XLIX

Dominatur enim in hoc corpore ceu in turbata Repub: & ἀνυποτάκτῳ, in qua aliqui intelligentes & modera tiores

tiores cæteris sponte obtemperant autoritati legum & Magistratus atque consulunt in comune:aliqui petulantiores si legum obliti suis indulgeant ac frenos laxent cupiditatibus, atque harum querant licentiam infinitam, primo cohortationibus castigantur & admonitionibus, quas si aspernantur, ratione asperiore ad officium faciendum adiguntur:contumaces prorsus ac rebelles, qui omne legum autoritate detrectata, nulla salutaria monita audiunt, nullis emendantur castigationibus, uinciuntur ac domantur carceribus & compedibus, ne tumultuentur. Si hi quoque repagulis effractis euadant & uincant, euertunt Rempub:. Eadem est conditio imperij uoluntatis in dissimiles, disiunctas, sauciatas & mutilatas uires in homine.

Mens

Mens ut uoluntatem antecedit ita sponte facit officium, & re pensitata ac circumspectis de sensuum indicio occasionibus proponit & declarat uoluntati quæ iudicat esse conuenientia: flectit eam ad bona & salutaria seu prospecta procul & multo ante præuisa, seu ante oculos anteque pedes posita; ã nociturís abducit.

LI

Reliquarum uirium condicio dissimilis est. Quanquam enim Voluntatis imperio subiectæ sunt omnes, ea lege, ut non pareant tantum, sed suo quælibet loco atque ordine incumbentem in aliquam rem adiuuent, tamen ut non eodem modo parẽt, ita non eadem imperij forma reguntur. Cogit uoluntas loco motricem herili imperio, qua non impedita aut prohibita, cum uult, externa membra reprimit ac cohibet, cum uult incitat.

LII

Hac eadem τὸ ἐπιθυμητικὸν non extinguit quidem, aut placat, uel explet, Sed ad eum modum concludit atque coarctat, ut uim loco motrici facere & auulsam à sese nequeat perpellere ad ea prosequenda, quibus ipsum inhiat. Etsi enim prorsus ἄλογον est οἷον ἄγριον θρέμμα ἀνυπήκοον τοῦ λόγου, tamen his ceu ergastulis astrictæ loco motricis comprimi potest, ne polluat lædatue sese aut alios. Ideo que inter eas uires recensuimus, quæ uoluntati subditæ sunt.

LIII

Persuasione ut fit in Politico Imperio Voluntas & dirigit atque conformat affectus cordis ad dictamen ac præscriptum rationis, & delinit ac mulcet τοῦ θυμικοῦ τὸ παθητικὸν, id est, feruidos & concitatos cordis motus

cum

cum exarſerunt, donec uel deferue-
ſcant & conquieſcant, uel ſe ad uo-
luntatis conatus accommodent, qua
ubi nihil proficit, eoſdem ei quos
ἐπιθυμητικῷ frenos inijcit, uinctis atq;
ligatis per loco motricem membris
externis. Moderatius enim ac mitius
θυμικὸν, quod ἠθικὸν uocant, minuſque
à natura efferum ac diſtortum, aut di
ſciplina ceu cicuratum & condoce-
factum, ſponte obtemperat, uel nullo
negotio à Voluntate intra limites
officij continetur.

LIIII

Etſi autem debebat is eſſe conſen
ſus inferiorum Virium cum Volun
tate, Voluntatis cum Mente, qui eſt
in harmonicis proportionibus inter
ὑπάτην μέσην καὶ νεάτην, ut præclare phi
loſophatur Plato, tamen ſæpiſſime et
in maxima parte generis humani
hęc τεταγμένη uirium & actionum

ἀναλογία *uertitur in* τεταραγμένην, imo in δυσαναλογίαν, rapientibus & usurpantibus imperium illis uiribus contra rationem, quarum erat obedire.

LV

Quam frequenter & in quanta multitudine generis humani mentis deliberationes aberrant suadentq; exitiosa homini & uoluntati illud etiam in motricem uim ius atque dominium, quod solum aliqua ex parte firmum retinuit, uiolenter quasi de manibus excutiunt efferi atque indomiti cordis impetus & æstuantia appetitionum incendia, ipsamque cum motrice facultate uiolenter abreptam per preceps agunt eo quo feruntur, frustra reclamante ratione, aut illecebris excœcatam ac persuasam abducunt ratione turbata, aut etiam non consentiente uoluntate, expugnatam cogũt loco motricem.

Vnde

Vnde hæc enormitas discrimine pe-
ne infinito?

LVI

Δυνάμεις corporis quas diximus esse coniunctas & subditas animæ uiribus, congruunt crasibus cerebri, cordis & epatis συμφύτοις καὶ ἐπικτήτοις, id est, innatis & ascititijs. Has uero in alijs hominibus alias & diuersas, id est, temperatiores, aut minus temperatas, magisque uiciosas ac distortas causæ complures ac dissimiles procreant.

LVII

Initio uarie miscent & conformant temperamenta coniuncta semina maris & fœminæ tanquam ὑλικὰ αἴτια & διαπλαστικά. Sanguis attract9 è corpore pregnantis per Venas & arterias umbilici ut ὕλη, ex eo enim sanguine coalescunt tum Viscerum παρεγχύματα tum musculorum caro. Ve-

teri temperies , conditioque et con-stitutio & ratio uitæ ac diętæ pre-gnantis toto tēpore,quo uterū gerit. Itemq; locorum, regionum, tēporis anni,atque uniuersim circumfusi no bis aëris κατάστασις. Quorū utraq; & περιέχοντος & συνεργῶν αἰτίων uim ha-bent atque rationem , Remotiorum hæc,Propriorum illa. Tum positus cœli atque ad subiectas terras incli-natio ac habitudo , in primis zodia-ci , sub quo feruntur & decurrunt Planetæ, Orbiumque & Corporum perpetuæ & miranda diuersitate uariatæ conuersiones , & radij Stel-larum utrarumque , quæ hunc Ele-mentarem orbem inclusaque ei cor-pora cum manifestis qualitatibus in aërem circumfluum impressis im-buunt, tum occulta ui feriunt atque afficiunt.

LVIII

Constitutam et absolutam his cau sis τὴν σύμφυτον κρᾶσιν postea uel robo-

rant

rant firmantq́ꝫ, uel retundunt ac he=
betant, uel corrumpunt etiam diæta,
hoc eſt, ratio uictus ac uitæ ſeruata
præcipue in ætate tenera, educatioq́ꝫ
& aſſuefactio, & quæcumq́ꝫ cauſæ
τὴν σύμφυτον κρᾶσιν, qualitatum alie=
narum impreſſione atque admixtio=
ne nouant aut uitiant. Et harum cau
ſarum aliquas conſilio & induſtria
cauere aut moderari, uel arte attem=
perare naturis corporum, quaſdam
non ita poſſumus.

LIX

At ſenſibus interioribus & men=
ti multum confert inſtitutio prima:
Voluntati, loco motrici, cordi, imo
& ipſi ἐπιθυμητικῷ, aſſuefactio & di=
ſciplina quæ teneræ ætati adhibetur.
Nõ parũ refert, quibus quis à teneris
imbutus opiniõibus, quibus diſcipli
nis, quo ordine & qua Methodo ex=
cultus ſit. An ad intẽtionem ſeriam,

ad amandam & quærendam ueritatem, ad diligentiam et circumſpectionem in iudicando neceſſariam, ad ſtudia & exercitia honeſta, ad res ſerias & graues ſerio grauiterque tractandas aſſuefactus ſit uel ſecus. Sunt enim ἐπίκτητοι φύσιες τὰ ἔθη. Vt Hippocrates inquit.

LX

Si mens recte inſtituta recte iudicet, et Voluntas obtemperet (quas de rectæ rationis iudicio ſuſceptas à Voluntate actiones προαιρετικάς Ariſtoteles uocat.) Cæteræ uero uires propenſione & innata & de bona conſuefactione contracta flectantur eo, ut non conſentiant tantum & obſequantur, ſed & præſto ſint uoluntati οἷον δορυφορικὸν οἴκημα, & conantem atque annitentem incitent urgeant atque adiuuent, ut ſi accedant illi ſtimuli, quos φυσικὰς ἀρετάς Ariſtoteles nominat, præclarum quiddam efficitur

tur

tur in eo genere, quod ſuis homo ui-
ribus præſtare in hac imbecillitate
poteſt, idque ἀρετὴν uocarunt Philo-
ſophi.

LXI

Sin uero uitium ſunt in una plu-
ribusue harum cauſarum, tanto fœ-
dius & hoc fit, quod efficitur, quanto
enormitas maior eſt.

LXII

In harum cauſarum commemo-
ratione non omittenda mentio eſt
præſtantium ingeniorum & heroi-
corum motuum, & furorum atq; in-
ſtinctuum Diabolicorum:

LXIII

Prorſus enim dubium non eſt,
Excellentia ingenia, & Heroicos ui-
ros excitari duci & inſtrui diuinitus,
ut collapſas artes illi, Imperia con-
cuſſa aut diruta hi inſtaurent. Ita du-

bium non est multum Sophistices, imposturarum ac præstigiarum in artibus & consilijs ab autore: multum fœdorum flagiciorum, atrocium scelerum, contentionum perniciosarum, motuum periculosissimorum ab impulsore Diabolo oriri.

LXIIII

Hæ sunt causæ & actionum liberarum externarum in homine, et dissimilitudinis tantæ morum atque actionum Ethicæ ac Physicæ. Quarum considerationi semper includatur illa uera & prima causa, quæ fons est huius enormitatis ac deformitatis. ss. primorum parẽtum lapsus. De Sanctis & Deo placentibus actionibus, deque earum causis, & quomodo in renatis auxilio Spiritus sancti inchoentur ac crescant, sola docet Ecclesia.

DE DEMONSTRATIONE.

De-

Demonſtratio eſt ſyllogiſmus procedens ex ueris primis & immediatis, notioribus & prioribus, quæ ſunt cauſæ concluſionis. Ea enim eſt bona & firma demonſtratio, quæ reducitur ad principia prima, ἀναποδεικτὰ, ἄμεσα, καὶ αὐτοπιστὰ.

LXVI

Vel demonſtratio eſt ſyllogiſmus, quo aut ex natura notis principijs aut de uniuerſalis experientiæ conſtitutis, aut ex ante demonſtratis, aut ex definitione de ſubſumpto bona conſequentia neceſſariam & immotam concluſionem extruimus, aut ex cauſis proximis proprios ſequi effectus oſtendimus, ea lege, ut reduci demonſtratio ad ultima & prima principia poſſit aut procedimus ordine conuerſo.

LXVII

Ideo autem expreſſe memini

experi-

experientiæ, quia & uniuersales conclusiones ex consensu perpetuæ experientiæ acceptæ principiorum, & argumentationes ab uniuersali experientia procedentes uim habent demonstrationum. Diserte enim inquit Aristoteles, εἴ τις αἴσθησις ἐκλέλοιπεν, ἀνάγκη καὶ ἐπιστήμην τινὰ ἐκλελοιπέναι.

LXVIII

Et cum ratiocinationum formas natura nobis insitas discernit inquiens, μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ ἢ συλλογισμῷ, rursus inter utraque principia discrimen aci innata & acquisita. Orditur enim inductio à singularibus sensui obuijs, quæ quod in sensus incurrunt φαινόμενα uocarunt, atque ex his longa obseruatione, quę συμπαρατήρησις est, animaduersis constituit uniuersalia. Syllogismus uero ab uniuersalibus tum natura notis, quæ ob id quod non obuersantur sensibus, sed ceu recondita latent in animis, et

ætate

ætate atq; cultura ceu ſuſcitata pro-
ferūt ſe atq; eniteſcunt, κεκρυμμένα: ob euidētiam et certitudinem ἐναργῆ uocarunt, tum duce & magiſtra experientia acquiſitis.

LXIX

Vim mentis quæ gubernat proceſſum ordinem & contextum ratiocinationis, quæque rationem connexionis & cohærentiæ obſeruat exquirit & penſitat in Syllogiſmo, λόγον, in Inductione, πεῖραν: Ambo una uoce κριτήρια Galenus uocat, quod uelut normæ ſunt & regulæ artium. Ariſtoteles προϋπάρχουσαν γνῶσιν nominat.

LXX

Nec pueriliter intelligatur definitio demonſtrationis de unico ſyllogiſmo, ſed de proceſſu & ſerie demonſtrationis perpetuę, directæ ad rei alicuius confirmationem uel explicationem. Quare & Mathematici demon-

demonstrationem πίστιν ἢ ἀπόδειξιν, ἢ μεθόδον ἐπιστημονικὴν uocant, etsi interest aliquid inter ἀπόδειξιν & μέθοδον.

LXXI

Procedunt autem demonstrationes uel ἀπὸ ἀρχῶν uel ἐπὶ ἀρχὰς, id est, uel à principijs seu à priori ad posterius, seu à ueris rationibus & causis ad effectus, uel ad principia seu a posteriori ad prius, seu ab effectis ad causas.

LXXII

Illæ uel ex principijs extruunt aliquid bona & firma consequentia, uel ex ante demonstratis, quæ προαποδεδειγμένα, & ἀποδεικτὰ, & συλλελογισμένα, id est, demonstrata, demonstrabilia & conclusa nominantur. Vocantur autem ἀποδείξεις συνθετικαὶ, quod Methodo Synthetica progrediuntur.

LXXIII

Hæ ad principia uelut summa genera

nera demonstrationis seriem reducunt uel ponendo principia, ut quæ analytica Methodo procedunt, uel inferendo principiis oppositum falsum, ut ἐπαγωγαί εἰς ἀδύνατον.

LXXIIII

Omnis præterea demonstratio aut τὸ ὅτι demonstrat, aut τὸ διότι, & complectitur hæc tria, quæ recenset Aristoteles cum inquit, περὶ ὅτε δείκνυσι, καὶ ἃ δείκνυσι, καὶ ἐξ ὧν.

LXXV

Distinguuntur & demonstrationes quantitate, qualitate, & forma processus. Alia est ἀπόδειξις καθόλου, Alia κατὰ μέρος. Alia ἀποφατική, alia καταφατική. Alia δεικτική, alia ἄγουσα ἐς ἀδύνατον.

LXXVI

Vniuersaliter maior certitudo

& per-

et perſpicuitas euidentior ineſt quam particularibus, & affirmatiuis quam negatiuis, & oſtenſiuis quam ducentibus ad impoſſibile.

LXXVII

Principia, ἀρχαί, noticiæ ſunt uel ſētētiæ quibus in quauis arte nec prius eſt quidquam, nec certius, nec notius, quæq; demonſtrari aut non poſſunt aut non debent, ſed per ſeſe fidē habent, et propter ea cæteris quę inde extruuntur aſſentimur.

LXXVIII

Diſtinguunt ea in Theorica Practica & ποιητικά. Theorica Ariſtoteles in ἀξιώματα, θέσεις, & αἰτήματα, diuidit. Euclides in ὅρους, αἰτήματα & κοινὰς ἐννοίας, ſed non eſt eadem utriuſque ſententia.

LXXIX

ἀξιώματα & κοιναὶ ἔννοιαι idem ſignificant

ficant utrics, Stoici προλήψεις nominasse uidentur; Suntque insitæ omnium hominum animis sententiæ per se notæ & maxime illustres, quibus assentimur sponte sine ulla confirmatione. Quales sunt. Totum maius est sua parte. Quæ uni æqualia sunt, inter se sunt æqualia.

LXXX

θέσεις seu posita Aristoteli sunt noticiæ uel non per se notæ aut præscitæ, uel non intellectæ approbatæue per se, ἃς μὴ ἔστι δεῖξαι, μηδ᾽ ἀνάγκη ἔχειν τὸν μαθησόμενον. Sed quæ a doctore constituuntur, & quibus positis ac declaratis a Doctore accedimus atque assentimur sine demonstratione, quod talia esse, qualia proponuntur uidentur.

LXXXI

Harum aliæ ſunt ὑποθέσεις, aliæ ὅροι ſeu definitiones. Hypotheſes conſtituunt quod res ſit uel non ſit. Deſinitiones conſtitutæ rei naturam genere proprietateque explicant.

LXXXII

Αἰτήματα Ariſtoteli ſunt ſententiæ, quæ nec notæ ſunt, nec intelliguntur per ſe, nec quales proponuntur, tales eſſe uidentur, imo contrariam uero ſæpe ſpeciem habent, dari tamen ſibi illas ac concedi petit & ceu poſtulat demonſtrator, & aſſummit eas etiamſi non conſentiat auditor. Sunt autem & ὑποθέσεις & αἰτήματα Ariſtoteli δεικτά, id eſt, talia quæ demonſtrari poſſunt.

LXXXIII

Vt notum declarandi cauſa uſurpemus exemplum, hypotheſis eſt

cum

cum Eccentricum orbem pono & assummo. Definitio cum quis sit explico, scilicet, qui centrum a centro mundi diuersum habet. ἄιτημα cum postulo concedi mihi, ut statuam solem regulariter moueri in orbe Eccentrico, irregulariter in Zodiaco.

LXXXIIII

Vel ut Euclideis utar exemplis, hypothesis est cum angulum rectum pono. Definitio cum qualis sit describo, scilicet, Angulum rectum esse utrumque continuorum angulorum, quos recta linea rectæ insistens efficit inter se æquales. Ἄιτημα cum concedi postulo, ut omnes rectos inter se angulos assummam æquales.

LXXXV

Euclidi ἀξιώματα & ἀιτήματα pariter ἀναπόδεικτα sunt, & differunt ut

θεωρήματα & προβλήματα, ut ἀξιωμάτων finis ſit cognitio, uſus in theorematis: αἰτημάτων finis ſit effectio, uſus in problematis. Illa εὔγνωστα ſunt, hæc εὐπόριστα.

LXXXVI

Ergo ut ſimpliciſſime dicam hypotheſes & definitiones coniungit Euclides ſub definitionum nomine, quod & natura cognatæ ſunt, & perpetuo conſtitui prius oportet an res ſit uel non priusquam definiatur.

LXXXVII

At αἰτήματα Euclidis Ariſtoteles ſub ἀξιωμάτων complectitur genere, ita ut κοιναὶ ἔννοιαι Euclidis ſint ἀξιώματα theorematum, αἰτήματα eiuſdem ſint ἀξιώματα problematum. Rurſus Ariſtotelis αἰτήματα Euclides ſub eo genere κοινῶν ἐννοιῶν compre-

prehendit, quæ non ſunt primæ & communes notiones, ſed quæ & de-monſtrari poſſunt, & declaratione indigent. Quales ſunt inter κοινάς ἐν-νοίας Euclidis duæ poſtremæ.

τέλος.

Θεῷ δόξα.